

† R. P. Iulius Blanpied (1854-1934)¹(Prov. *Lugdunen.*)

Extrema gaudii luctus occupat (Prov. 14, 13). Hoc S. Scripturae dictum mense Maio h. a. denū confirmatum vidimus in communitate S. Nicolai a Portu, ubi sabbato 5 Maii ecclesia nostra, inde ex a. 1903 clausa et belli tempore profanata, cultui redditā est, non populi quidem, sed ipsius communitatis novique iunioratus² usui destinata. Die hunc laetum eventum antecedenti ibidem R. P. Blanpied, fere octogenarius, extremae unctionis sacramentum receperat, et quamvis finis vitae non tam prope esse videretur, tamen die Dominica mane examinis inventus est. Ergo etiam de senibus annosis valet illud: *Nescitis diem neque horam* (Mt. 25, 13).



Charmes, gratosum Vogesi oppidum, natalicia dedit non modo scriptori illi famoso Mauritio Barrès, sed etiam nostro Iulio Blanpied, qui ibi 14 Oct. 1854 lucem mundi aspergit et postridie, festo S. Teresiae, regenerantibus undis ablutus est. Familiae Blanpied gloria est avita fides. Iulii patruus (vel avunculus) Franciscus fuit socius Ven. Libermann et Assistens generalis in Congregatione S. Spiritus ab eo fundata; Iulii frater Edmundus evasit cleri saecularis membrum; alter frater matrimonio iunctus etiam in praetorio ante indices iniquos fidem confessus est.

Iulii nostri *curriculum vitae* favet opinioni, quod primum vocationis ad Congregationem german in eius, etiamtum quasi infantis, animum iactum est missione illa fructuum plena, quam RR. PP. Assemaine et Lorrain in eius paroecia praedicarunt. Verum ipsi ad annum vigesimum perveniendum erat, donec eiusdem P. Lorrain exercitiis spiritualibus in Seminario S. Deodati (*Saint-Dié*) praedicatis efficaciter ad S. Alfonsi Institutum allectus est. Interim puer et invenis vivacissimus in studia sacerdoti necessaria incubuit tum in collegio patrio, tum domi, tum in Seminario minore Autrey, tum in maiore S. Deodati.

Clericus minorista sacro habitu Redemptoristae induitus est in domo Avon festo omnium Sanctorum 1874, magistrum habens R. P. Chavatte³,

¹ Cfr. necrologium infra in bibliographia annuntiatum.² Vide supra pag. 172.³ Cfr. de eo *Analecta XI* (1932), 182-189.

et eodem die post annum recurrente vota nuncupavit. Studia theologica absolvit partim in Houdemont, partim in Avon, ubi ipsi presbyteratum contulit Archiepiscopus Quiteñis Ordoñez 14 Jul. 1878.

Sacerdos iuvenis, postquam per breve tempus Contaminae in nascenti invenatu stetit qua Socius P. Directoris, legibus inquis anni 1880 primum in Bataviam, mox in Hispaniam pulsus est. In hac terra sonorum Castilliae idioma tam bene sibi appropriavit, ut 12 annis habuerit 62 missiones, 18 renovationes, 25 cursus exercitiorum, in universum igitur amplius duo milia sermonum et tria milia catechesium.

Die 14 Sept. 1892 in patriam revocatus, per 15 annos continuos Valentiae constitut, et inde ex a. 1900 quidem domus Rector. Hoc tempore ei singularis honor obtigit, ut bis in ius vocaretur et iniuste condemnatur. Ac primum quidem a. 1901, cum in quadam missione contra doctrinas infames Voltaire et Ioannis Iacobi Rousseau locutus esset, calumniatores nequissimi eius nomen ad tribunal detulerunt, quasi viro tunc potentissimo Waldeck-Rousseau insultasset, et P. Blanpied ad multam 100 francorum et solvenda expensa condemnatus est. Anno vero 1905 idem Superior P. Blanpied, qui semper palam declaraverat se cum confratribus leges a gubernio contra societas religiosas latas respuere neque unquam sua sponte domo nostra exiturum, die 15 Maii dolo quodam inductus est ad comparendum cum quinque subditis in sede tribunalis, et cum ibi quoque omnes sponteam suae domus derelictionem renuissent, hi sex Patres Blanpied, Roger, Desbrus, F. Delerue, Nouais, Fontaine curru infami delinquentium ad carcerem vehuntur ibique per quatriduum, plane ut reliqui captivi, dura custodia tenentur, donec vesperi 18 Maii ad divisorium ire sinuntur. In subsequenti consessu iudicium P. Blanpied, licet orationem habuissest Demosthene et Cicerone, vel, si mavis, S. Paulo dignam, tamen cum sociis pecunia multatus est¹.

A. 1907 confrater noster renuntiatus est primus Superior hospiti Nançiensis (*Nancy*), postea suppressi, et in nominationibus post Capitulum generale a. 1909 factis totius Provinciae regimen recepit, at non diu; etenim, ipso in America meridionali commorante ad visitationem Vice-Provinciae instituendam, publicae securitatis Galliae administri certas chartas invenerunt, eius nomen tanquam Superioris Provincialis referentes; quamobrem Rector Maior satius esse duxit novum Provinciale nominare. P. Blanpied itaque, visitatione canonica Vice-Provinciae peracta, successive praepositus est duabus hospitiis in Italia septentrionali Albae Docilie (*Albissola*) a. 1907 et Segusii (*Susa*) exeunte a. 1913 fundatis, quae ambo non iam exstant.

¹ Cfr. I. B. LORTHOIT, *Méorial Alphonsien*, p. 254 sq.

Post bellum minister communitatis Montis Albani fuit indeque Novembri 1920 prefectus est ad visitationem Provinciae Hispanicae nomine P. Generalis peragendam. Triennio 1924–1927 fuit Rector S. Nicolai a Portu ibique, ut supra dictum est, eum mors avocavit ad recipiendam *hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem* (I Petr. 1, 4).

P. Blanpied prae ceteris erat operarius evangelicus, et ipse laborem suum apostolicum in patria exantlatum ita complexus est: « Laboravi (foris in sacro ministerio) dies 10 119 seu hebdomades 1197, quae aequivalent ergo 750 missionibus 15 dierum ». Eloquentia sua populari sane inter principes numerandus est. Tractans in sacro suggestu aliquod argumentum velut secretis viis in *horum* audientium animos intrabat, quasi divinans eorum cogitata; eos subito sibi attentos, benevolos docilesque reddebat; ad eorum difficultates et obiectiones respondebat; vincebat non modo intellectum, sed etiam affectum et voluntatem, hominem totum. Audita eius sermone qui aderant non dicebant modo: « Quam pulchre dixit! » sed potius: « Amemus Iesum! Peccata nostra confiteamur! Ad bene moriendum nos paremus! » Populus huius potentissimi missionarii verba adhuc post 20 vel 30 annos recordatur, et Praelatus quidam, Rmns D. Barbier, qui Patrem Blanpied iam senem de caelo contionantem audierat, post eius obitum uni nostrorum dixit: « *Quelle éloquence! Il paraissait descendre du paradis!* »

Dignus igitur et aptissimus erat confrater defunctus, qui quater a Superioribus eligeretur Praefectus secundi novitiatus. Ferme 50 Patres Provinciae ei debent magnam formationis apostolicae partem, quam in finem uti sciebat non solum publicis conferentiis, sed etiam colloquiis et conversationibus privatis. Suis ideis prorsus non adhaerebat, sed libenter conservabat ea quae in discipuli hortulo germinarant, modo ne essent im-popularia.

Qui foris erat exemplar eloquentissimi apostoli, idem domi confratribus pretiosa exempla regularis observantiae, simplicitatis Redemptoristicae, spiritualis gaudii dabat. Mansit tamen homo sui generis, habens modum iudicandi et agendi sui prorsus proprium. In abundantia possidebat bonum sensum, qui vocatur fidemque robustissimam, aliis relinquens mysticas illas et ultimas sancti amoris perfectiones.

Sicut in omnibus electis accidit, eius aurum in camino tribulationis probatum est. Ultimis decem annis solummodo extra lectum in aliqua sede paucas somni horas carpebat. Memoria eius mirabilis et petulans spiritus evanuerunt. Scrupuli quoque eum torquebant, praesertim in reitandis Horis canonicas, quas tamen omittere solebat. Ita factum est ut verum mortis desiderium in eius animo nasceretur.

Unum ex ultimis eius dictis fuit hoc: « Quantas Deo grates habeo, quod mihi concedit mori in Congregatione, in medio confratrum meorum! »

Tamen id ei non obtigit, ut ipsa mortis hora confratres sibi assistentes vide-ret; noluerat enim, proh dolor! oblatam assistantiam nocturnam accipere.

Post mortem pergit esse missionarius et animarum venator libro suo praeclaro *Souvenir de Mission*, qui unum e paucis illis operibus est, quae etiam inter nostros unanimem applausum et commune diffusionis studium invenerunt. Iam 560 000 exemplarium exierunt, et procul dubio multa alia milia futuris temporibus vendentur. Iam vero dicit Spiritus Sanctus: *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates* (Dan. 12, 3).